

FUNDAMENTVM

$\frac{2}{1}$	$\frac{3}{7}$	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{4}$
	$\frac{1}{2}$		$\frac{1}{8}$
$\frac{2}{1}$	$\frac{2}{4}$		
Radix inuenta duplicata.		$\frac{2}{4}$	
Nouus quotus, in $\frac{2}{3}$ duplum ducendus.		$\frac{1}{8}$	
Productum.	$\frac{3}{1}$	$\frac{1}{2}$	
Nouus quotus in se ductus.		$\frac{1}{4}$	

Finis Logiftices: sequitur extractio Canonis sinuum.

CAPVT II. DE EXTRVCTIONE  
Canonis sinuum.

**C**ANON sinuum est tabula indicans rationem & quantitatem semissium Rectarum, arcibus semicirculi subtensarum in quadrante, ad Radium circuli: qui semisses vulgò sinus dicuntur, de quibus notanda hæc Enunciata.

1. Sinus est Recta è termino arcus quadrantis circuli, perpendicularis in basin eiusdem quadrantis: reliquo verò cruri quadrantis parallela, est ipsa Definitio sinuum. Ideoq;
2. Sinus insistant basi quadrantis circuli ad angulos vtrinq; Rectos.
3. Omnes sinus sunt inter se ad inuicem paralleli: quia sunt perpendiculares eidem basi. Eidem enim perpendicularia, inter se sunt parallela: & contrà.
4. Rectæ parallele connectentes parallelas ad se inuicem æquantur.
5. Vt subtensa ad totum aliquem circuli arcum, ita sinus seu semissis subtensa ad dimidiam eiusdem circuli arcum.

Idq; de sinibus, eorundemq; Canone:

Sequitur ipsius Canonis extractio.

Extractio Canonis sinuum perficitur in quantitate discretâ, vt in numeris, aut in quantitate continuâ, vt in lineis Rectis.

In numeris deniq; fit aut vulgari viâ ac ratione, per inscriptionem nempe laterum planorum ordinatorum ( id est, æquilaterorum & æqui angulorum ) in circulo, idq; Geometricè: aut peculiari quodam modo, per sectionem scilicet anguli Recti datâ ratione in quotlibet partes, idq; Arithmeticè. Inuentum Iusti Byrgi Heluetij, Illustrissimi Principis Hassiæ artificis.

In lineis Rectis autem Canonis extractio fit per Quadrationem Circuli.

Inuentum Simonis à Quercu Burgundi, ciuis Delfensis.

De his itaq; modo dictis tribus diuersis extruendi Canonis rationibus ordine & quàm breuissimè dicemus: primum itaq; de modo extruendi Canonem per Geometricam atq; infallibilem Inscriptionem.

IIIa